

populos, hoc est, esse homines. Sed pro duabus Sectis, nostris quantum numerum Sectarum Orientalium opponemus auctori? Sola Mahumetica superstitio in tres principes sectas descripta est jam inde ab initio: quæ rursus in plurimas alias abierunt, quarum aliæ metempsychosin, aliæ alios undecunque conquistos errores propugnant. Sinensium, Indorumque Sectæ magnis libris nobis descriptæ sunt, in quibus Religionis & Cerimonie enarrantur, Legat, qui volet tum Dapperum, tum Piccardi magna & elegantia volumina, tum parvum mole libellum Alexandri Rosi, qui Germano etiam idiomate excusus est sub titulo *Juden, und Heiden, Tempel*. 8. Norimb.

99. Petamus autem à regina veritate hanc veniam, ut admittamus uno momento, vera esse hæc Auctoris, cum sint falsa. Demus, immutabiles esse Orientales; at auctor tamen falsas hujus rei causas asseruit. Equidem possem hoc dissimulare, sed quoniam præsentis tractatione hoc præcipue volo ostendere, Auctorem male instructum accessisse ad Spiritum legum indagandum, non defuisse illi pulcrum ingenium, non eruditionis apparatus, sed soliditatem, *la justesse de penser*, & veritatem; hinc

pertentanda mihi sunt ista, ut appareat vix ullo loco confidere lectorem in istius auctoris assertis posse, cum lateant passim sophismata sub specie pulchra verborum, quæ lenocinio dictionis avertunt animum à sensu falsi.

100. Causa ergo, cur immutabiles sint Orientalium mores & religio, ex auctoris decreto est *debilitas Organorum*, hoc est cutis laxa, nervi remissi. Loquamur ergo de morum mensura tanquam de ferramentis: & quemadmodum Xerxes milites non numeravit, sed modio instar tritici dimensus est, ita nos mores dimetiamur non principiis, sed pedibus & bilance, & veste & peritrochio adhibito. Statuamus nervum clavo defixum è trabe pendentem, pedum circiter sex longum, nullo infra appenso pondere. Tangis eum digito, cedit: aura vel modice concitata ingruit, cedit, facile mobilis, hoc est *facile mutabilis* est; quidquid etiam nervo huic adhæret, facile mutatur etiam ipsum, facile movetur. Appendamus nervo pondus libræ unius; cum primis crescet longitudo nervi pollice uno, duobus aut pluribus pro nervi nimirum crassitie. Ad hæc jam minus digito cedit, & aëri nisi vehementiori resistit: eaque quæ nervo inhæ-

rent,

rent, ipsa quoque minus sunt mobilia. Adde ponderi libras duas, plures; Longior nervus, difficilior motus erit, quo minor erit laxitas. Proportio ergo est inter nervi tensionem & immobilitatem non ex debilitate ut vult auctor, sed ex fortitudine seu robore; non ex laxitate, sed ex strictura. Perperam igitur colliges: Laxus est nervus; ergo est difficulter mobilis, eaque quæ ipsi connexa sunt, sunt difficulter mobilia. Imo contrà colligendum est: Laxus est nervus, ergo facile mobilis: strictus est, ergo difficile movetur.

101. At enim auctor hoc ipsum vult: nam ex laxitate nervorum vult Indos facile cedere *fortissimis* impressionibus, Russos contrà ob stricturam nervorum vult difficile cedere impressionibus. Hoc equidem dicit, sed sibi dissentiens. Ante enim dixerat, Borealibus breves esse nervos, Orientalibus longos. At longi nervi ex tensione fiunt, tensio facit fortes: fortes igitur nervi sunt Orientalibus, quia allongati. Debiles nervi sunt Borealibus, quia non tensi. Boreales igitur populi facile ex auctoris doctrina recipient impressiones etiam leves, Indi vix ulla. Et ex auctoris principiis carneis jam calidum, jam frigidum sequitur.

102. Deinde vero quomodo ista cohærent: Indorum nervi facile cedunt impressionibus: animus impressionibus nervorum regitur, imo character per eas formatur: ergo animus difficile cedit impressionibus? Contradictoria hæc sunt, quæ combinari à solo aliquo bello ingenio possunt. Pendet animus à nervis? An non pendet? Si non pendet, quomodo nervi sunt causa characteris animi, aut omnino quidquam efficiunt? Si pendet à nervis animus, cur nervi Indorum facile recipiunt impressiones, & nihilominus animus à nervis pendens immobilis est? An ideo forte, quia animus semel à nervo motus, renuit altera vice moveri? Eccur hoc? an quia animus una tantum vice à nervo pendet, secunda non pendet? Ergo cum nervus formet characterem animi, is character totus debet unica impressione ac nervi motu unico formari; quia altera impressione nervus non amplius tangetur.

103. Si vero secundis etiam & tertiis & centessimis nervorum motibus animus agitur, sequitur quo mobiliores & molliores sunt nervi hoc mobiliorem esse debere animum, quavis nova ac diversa impressione. Hoc si dixisset auctor, sicut ipsi placuit oppositum dicere, quia magis aptum

E 3

fuo

fuo legum spiritui, rem dixisset experientia probabilem. Quemadmodum enim fœminæ, ita fere multi sunt orientales. *Varium & mutabile semper fœmina*: Varius semper Orientalis. Ipseque auctor Orientales paulo ante comparavit pueris, Europæos viris maturis. Et nunc Europæi pueri ipsi sunt, hoc est variabiles, contra Indi viri maturi, quibus fixus est animus. Possent in hanc rem dici multa, sed me jam suppuget ulnâ tamdiu dimensionem animorum ac religionis tractasse coactum.

104. Altera causa immobilitatis religionis Asiæ priori contraria est, nimirum *pigritia animi naturaliter conjuncta cum pigritia corporis, quæ facit animum incapacem omnis actionis, omnis conatus, omnis contentions*. Histrionum more ex eadem pera quodlibet depromit, proque lubitu fingit sibi homines. Paulo ante Indi erant pueri. Pueri autem nunquam quiescunt, sursum, deorsum, partem in omnem agit eos calor, multum etiam prohibitos ac ne virgarum quidem metu continendos; ut nostrorum proverbio mercurium habere dicantur. Corpori ipsorum similis est animus. Sciscitandi infinita cupidine fatigant parentes & nutrices. His similes Indi subito ab

auctore transformantur in fenestras egelidos, tristes & ad omnem etiam conatum animi emarcescentes, ut ne possint quidem cogitare de mutatione morum ac religionis. Neque de solis Indis hoc dicit, sed de omnibus populis Orientis.

105. Equidem credo eum loqui non de Oriente hujus planetæ, quem nos incolimus, sed de incolis comitum Saturni, qui haud dubie torpidorum senum est patria. Nam populos orientis adeo non marcere ingenio animoque nobis constat, ut ingeniorum cultura, scientiæ, inventionesque præcipuæ olim ex Asia denique in Europam immigrarint. In Asia maxime rerum inventores aut nati sunt aut vixerunt antiquitus. Et si nunc alia est & pigrior Asiaticorum indoles, hoc ipsum evidenti argumento est, valde mutari posse Asianos; sicut Europæos mutabiles esse evidenter constat ex dissimilitudine morum Europæ hodiernorum cum priscis. Nisi forte dixeris, clima Asiæ hæcenus mutatum & à pristino diversum esse. Id ipsum vero si dixeris magnam mutabilitati portam aperis: nam si ipsum etiam clima Asiæ mutabile est, & clima mores causat, mores Asiæ non possunt esse nisi mutabiles.

106. Quo-

106. Quoniam de immutabilitate Religionis in Oriente cœpi-mus, licebit mihi huc trahere locum alium Auctoris ex Libro XXIV. Cap. 26. in quo tractat, *quam inconvenienter religio unius regionis transportetur in aliam regionem*. Sic autem habet: „Quando religio fundata super clima „aliquod nimis offendit clima „alterius regionis, religio talis „non potuit se stabilire in hac „altera regione: & quando nihilominus fuit introducta repugnante climate, inde rursus ejecta est. Humanitus loquendo videntur limites religioni Christianæ & religioni Mahomedanæ à Climate esse præscripti.

107. Clima ergo posuit limitem religioni Turcorum, Clima limitem Religioni Christi. Quemadmodum religio Mahometis in Europam penetrare non potuit ob clima Asiaticum, super quod fundata est religio Mahumetana; ita religio Christiana humanitus loquendo non potest penetrare in Asiam, quia fundata est super clima Europæum. Et quia nihilominus introducta fuerat Christiana Religio in Asiam, inde tamen rursus ejecta est, quia cum esset fundata supra clima Europæ, nimis offendit clima Asiæ.

Clima ergo Asiæ proprium est

religionem Mahumetanæ, Clima vero Europæ proprium Religionem Christianæ. Si hic Auctor novum Evangelium scriberet, faciet Christum nasci non in Bethlehem Juda, sed Teutoburgi in Germania, aut Lutetiæ Parisiorum. *Inconveniens* enim est, religionem Christi fundari super clima Asiæ, atque adeo Christum nasci in Asia, cujus religio terminatur climate Europæo; sicut inconveniens fuisset Mahumetem nasci Parisiis, cujus religio intra clima Asiæ consistere debuit.

108. Cum igitur clima quod Asiam Europamque dividit, dividat etiam ab Asia religionem Christianam, oppido quam imprudentes sunt tot Religiosi sacerdotes, qui sacris in Asiam expeditionibus excurrunt corpusque injuriis & caput neci obiciunt, ut Christianam religionem extra limitem proprium serant. Laterem enim lavabunt, & quancumque introducta illuc religio Christiana debebit paulo post ejici. Male consultum fuit Regibus Christianissimis & Catholicis, ut tantam pecuniæ vim in sacras has missiones jam diu profunderent. Prudentiores multo Batavi, qui religionis in hoc climate plantandæ omniâ cura, colligunt hujus climatis merces, ut eas in clima Europæum deportent.

tent. Sed quid sit ut religio tantum & mores ex alieno climate ejiciendi sint, non item merces? quæ tamen merces proprie effectus sunt climatis? Rem salubrem præstitisset auctor, si spiritum suum legibus commerciorum adhibuisset, ostendissetque, merces ex alieno sole petitas plerumque melius ejici quam admitteri.

109. Ceterum Christiana religio DEI munere non est hoc Auctoris istius limite constricta: Viget enim verò etiam nunc in Asia omni, quamquam partim hæresibus corrupta, partim Schismatica.

110. Denique verò Turcarum superstitionem ab Europa non clima prohibuit, sed per divinam opem Germanorum potissimum arma, qui hostibus & ad ortum & ad occasum pares adhuc divino munere fuerunt. Et si Christiani possunt vivere in Asia, quamquam extra elementum ab Auctore hoc ipsis assignatum, non video cur creandum esset Turcis in Europa & media Gallia, si semel Germanorum superatis viribus ascendente Lutetiarum caminis fumum propius conspicerent? Sæpe lavantur Turcæ? nunquid non sunt aquæ in Germania? Lavantur apud nos etiam Judæi & baptismata sua exer-

cent. Carne porcina non vescuntur Turcæ? Sed nec Judæi. Vescantur nostris vervecibus & Germaniæ delicatis vitulis venatuque omnis generis & bobus Hungariæ, Frisiæ, Daniæ, Poloniæ. Longe diversa Turcarum ab hoc auctore mens est. Pro Hungariæ climate tantopere sibi, ut vult auctor, adverso recuperando non dubitent ingentes thesauros & grandes exercitus sacrificare.

111. Quid sibi verò volunt illa limitantia verba: *Humanitus loquendo?* Videtur id valere idem ac, *humanis viribus*, vel *humanis modis, consiliis, voluntate humana.* Ergo utcunque volent Europæi non poterunt Mahumeticam superstitionem admittere, nisi divinitus ad id impellantur, quia clima prohibet, quod humanis viribus & voluntate superari nequit. Ita vicissim Asiatici utcunque volent non poterunt Christianæ se religioni dedere, nisi divinitus id fiat; quia vetat clima, quod voluntati eorum non pareat. Quemadmodum enim *nemo potest cogitando sibi adjicere ad staturam cubitum unum*, ita nemo potest volendo sibi facere *cutem* Europæam aptam Religioni Christianæ, aut detrahere sibi *cutem* Asiaticam Religioni soli Mahumeticæ aptam. Quapropter ut Asiatici

Asiatici fiant Christiani non iis miraculis opus est, quæ Christus patravit & Apostoli, sed longe diversis. Quodsi hic auctor quintum evangelium condet, scribet illud sic, ut sit aptum Asiaticis. Pro Europæis faciet Christum, cæcos illuminare, suscitare mortuos, docere, pati, mori, implere prophetias; hoc enim sufficit, ut climatis Europæi homines possint Christo, & in Christum credere, ceteraque facere. Contra pro Asiaticis faciet auctor à Christo etiam clima penitus demutari, exspirare illos calores, fibras & nervos fortiores concedi, cutem succrescere diversam, porcorum esum his salubrem fieri, & facere ut æque baptismatibus tam multis carere possint ac Europæi. Faciet Christum perumpere illum limitem climatis Asiatici & Europæi ab initio positum à patre suo cælesti orbis hujus conditore. Equidem & nos proni confitemur credere nos supernaturalibus, neque initium etiam credendi habere, neque quidquam omnino agere molirique posse, nisi præveniente tum ordinario DEI conservatoris motu, tum quoad supernaturalia etiam extraordinario. Atque adeo, ne Europæi quidem humanitus loquendo sunt Christiani, tametsi cutis eorum

fit apta nec tot baptismatibus indigeat, nec porcinae esu conspurcetur, nec polygamia opus habeat.

112. Quid verò si quis, ut auctor de lingua vervecis fecerat, microscopiis optimis examinet vicissim lorum cutis Turcicæ & Hungaricæ aut Gallicæ, v. g. Comitibus Bonævallii? nescio an in Hungari cute conspecturus sit porcinas pustulas, aut in cute Galli globulos vini Burgundici; in corio autem Turci aquæ tantum Cæseanæ bullulas & nescio quos folliculos, quibus inscriptum sit: *multas uxores!*

113. Huc usque procedunt Auctoris principia, quæ spiritui legum ex climate initio præscripta. Neque vacat examinare cetera æque sophistica. Satis est, quemcumque passum in hoc auctore legendo facias, ubique timendos tibi insidias esse & latentem in herba anguem.

114. Jam verò exponit auctor speciosam defensionem, titulum Capituli quinti libro XIV. sic statuens: *Malos legislatores fuisse eos, qui obsecundarunt vitiis climatis, bonos vero eos, qui iisdem vitiis se opposuerunt.* Ex quo manifestum esse inquiet, non velle se neque spiritum legum in hoc constituere, ut clima sit regula legum & leges subjiciantur climatis vitiis,

tiis, sed ut legislator climatis vitia discat agnoscere & ipsis legibus ea reprimere. Unde etiam in fine hujusce capituli subjungit: *Quo magis causa physica homines inclinant ad quietem, hoc magis causa morales debent ipsos à quiete avertere.* Clima ergo non est regula legis ad legem secundum clima ferendam, sed ad oppositum; sicut quando cum homine iracundo conversor, ipsius iracundia mihi regula est, non ut idem faciam, sed ut caveam, legemque cavendi & abstinendi mihi met feram.

115. Bona verba sunt ista omnia & vox Jacob; sed manus quales sint, jam considerandum.

Vitiis ergo climatis resistendum. Vitium climatis quid est rei? Calor an frigus, humor an siccitas, fluvii an arenæ? His rebus obfisti legibus vix potest.

An climatis vitium est vitium hominis sub tali climate degentis? ex. gr. pigritia Orientalium? Pigritia illa venit ex climate. Clima allongat nervos, debilia facit organa, cutem laxat. Cum cute laxa & organis debilibus *NATURALITER conjuncta est* (ut superiore capite dixerat) *certa segnitias spiritus, quæ facit ne hic spiritus sit capax ullius actionis, ullius conatus, ullius contentionis.* Jam spiritus legum in hoc confi-

stitit, ut inactio ista spiritus humani Asiatici impugnetur, ut per leges huic spiritui ad omnem actionem, imo ad ipsum conatum incapaci imperetur actio. Id est, spiritus legum consistit in hoc, ut fiat quod fieri non potest, ut hominibus ad volandum incapacibus imperetur volatus. Si hic est spiritus legum, poterunt etiam ferri leges, quæ jubeant canes nostros loqui, non sine maximo rei domesticæ emolumento. Tametsi enim causæ physicae faciant canes incapaces ad omnem locutionem & loquendi conatum; at leges tamen vero spiritu animatæ debent vitiis ac defectibus causarum physicarum resistere: igitur spiritus legum jubebit canes loqui, homines volare, infantes causidicos esse.

116. Dicat igitur Indo lex: labora, corpus exerce, animi conatum adhibe ad cognitionem tui ipsius, originis rerum, cultum supremi entis, alia. Respondebit Indus: animus meus *incapax est ad ullam actionem, ullum conatum, ullam contentionem.* Redde prius capax, tum sequar & obtemperabo. Cutis me mea prohibet: da cutem aliam. Clima laxavit cutem: da clima aliud. Asiæ hoc clima proprium est: fac Asiæ non esse Asiæ.

117. Ad-

117. Adhæc ex ista auctoris opinione sequitur, omnes legislatores debere esse *extraneos.* Nam Indus quomodo poterit legem ferre Indis? cum sit ipsemet ex climate suo cute laxus, fibris debilis, animo incapax ad omnem conatum?

118. Rursus si ex alio climate sumendi sunt legislatores, oritur infinita contentio climatum: undecunque enim petatur legislator, secum feret vitia climatis sui, & quia aliter non potest agere quam admittant fibræ suæ, leges feret commensuratas fibris suis, suaque adeo vitia pro legibus imponet Indis.

119. Si forte inquis, hæc legislatoris alienigenæ vitia, si cum vitiis Indorum combinentur, effectura esse virtutem. Respondeo hanc esse chimeram triforem. Ex duobus enim vitiis combinatis nascetur tertium his monstruosius, v. g. ex gula borealium & pigritia Orientalium scilicet nascetur virtus illa, qua egent Indi. Vel si Europæis nobis, Anglis, Suecis imponetur legislator Indus, ex sensibilitate acuta Indi facillime mobili, & Anglorum temeritate atque audacia nascetur furor. Qui enim natura audax est, si ad omnia sit etiam valde sensibilis, omni momento excitatus, omni momento dextrâ

lævaque circa se desternet omnia, instarque leonis grassabitur.

120. Non existimo immorandum amplius in hoc, ut appareat, *Spiritum legum* neque in hoc consistere ut climati *obtemperent* leges, neque in hoc ut eidem *resistant.* Sive enim *resistant* sive *obsecundent*, nihil boni efficient, nisi *alio quodam spiritu* animentur, ad quem usque pulcrum auctoris ingenium non voluit penetrare. Ad summum tales leges physicae erunt, non morales. Erunt sicut vincula furioso injecta, sicut potio medica hausta à febricitante, sicut cauter adhibitus carcinomati: erunt leges Hippocratis non Platonis aut Solonis: non jus sed vis erunt climati illata & naturæ. Materia hæc sunt legum & cadaver, nisi alius spiritus accedat. Ipse auctor in exemplis, quæ deinceps de climate affert, jam sequitur clima, jam ei renititur. Prout se offert occasio pulcras antitheses ferendi. Spiritus legum constans sit oportet & vivus, ut legibus inspirare animam possit.

121. Hinc quia sibi ipse imaginari causam nequit, cur Angli determinantur sæpe ad semet ipsos necandum, eam invenit in filtratione succi nervosi. In *climate* enim invenire vix potuit,

F 2

ne

ne Hollandos Danosque eodem vitio involveret, quippe eodem climate utentes. Quapropter infert, „ In Anglia suimet occi-
„ fio non magis potest puniri
„ quam puniuntur effectus amen-
„ tiæ. „ Quia apud Anglos ob
defectum filtrationis „ *Machina*,
„ cujus vires motrices omni
„ momento sunt sine actione,
„ ex se ipsa est laffa. Anima
„ nihil jam doloris sentit, sed
„ certam aliquam difficultatem
„ existendi. Dolor est malum
„ locale, qui in nobis excitat de-
„ siderium hujus doloris aufe-
„ rendi. Sed gravitas seu diffi-
„ cultas vivendi est malum non
„ habens particularem locum in
„ machina, quodque in nobis
„ excitat desiderium auferendi
„ hanc vitam.

122. Ergo, concludit, sui ipsius latrocinium in Anglis non potest puniri ut crimen, sed ut effectus dementiæ. Quare autem? quia in Anglis non est peccatum nullo modo, neque contra naturam neque alterius modi. Quare non est peccatum? quia succus non filtratur, & propter hoc vita fit Anglo gravis. Quare succus non filtratur & quare vita fit gravis Anglis? haud dubie quia clima ipsorum nervos crispavit. Nam si allongasset, forent pigri Indorum in-

star, qui sese tamen non solent occidere. Si clima contraxisset nervos Anglorum sicut contrahit nervos aliorum sub eodem climate degentium, Angli essent actionis amantes, in sese confidentes, quod genus homines amat se vitamque suam.

123. Cessatio igitur nervorum, & originaliter clima ad aliquid inclinans universaliter, petit, ne legibus puniatur factum quantumvis rationi ac Deo adversum. Igitur cum clima fibras ad supra disponit, ad cædes aliorum, ad fraudes, ad superbiam, ad sensibilem idololatriam, ad incestus, ad ebrietatem, hæc vitia atque crimina in aliis quidem regionibus per se damnabilia sunt, in hoc vero climate non magis puniri possunt quam dementia: parata est excusatio: „ quia pars
„ aquosa sanguinis vi climatis
„ exspiravit, & remansit solum
„ spirituosa ardens; quia filtra-
„ tio succi nervosi est nimia;
„ quia machina omni momento
„ se invenit in actione, nec re-
„ quiescit; quia anima sentit do-
„ lorem in abstinendo, qui eam
„ facit desiderare illius cessatio-
„ nem. „ Itaque clarum est,
hæc non esse peccata morum sed morbos climatis. Sive ergo leges humanæ veniant prohibitoræ talia, dicetur illis; prius medicinam

cinam non tam mihi quam climati præbete. Si Deus ea prohibet ratione indita vel lege scripta, dicetur illi: *Hæc mulier quam dedisti mihi uxorem, hic serpens*, hoc clima me decepit. Sed his respondebitur: In foribus aderit peccatum; veruntamen sub te erit appetitus illius.

124. Quam autem amphibium auctori animal sit clima, tum alias ostendimus, tum ex eodem cap. 12. & sequente 13. hujus libri XIVti apparet. Capite duodecimo Anglus ex climatis vi fuit machina, cujus potentiæ motrices se omni momento inveniunt *absque actione*, laffa ex sese, & quæ per hoc aliud nihil desiderat quam non esse; cum etiam *existentia* sit ei *gravis*, res quæ nullum sensum neque exteriorum neque internum afficit, & vix ab anima subtilissime abstrahente percipitur. In capite vero 13. præter machinæ lassitudinem omni momento sine actione stantem & torpentem, adest in eadem machina *caracter certus impatientiæ ab eodem climate impressus, qui caracter machinæ huic non permittit diu sufferre easdem res sive gratas sive ingratas, sed semper eam portat ad nova obtinenda, pristina deponenda*. Quod quomodo fiat ab anima, quæ nullo momento in actione est, ut tamen om-

ni momento duplicem conatum habeat, alterum amovendi præfentia, alterum obtinendi nova, haud fane video, & prona est in his contradictio. Sed præter hunc characterem impatientiæ perpetuæ machina Anglica habet insuper vi climatis characterem animositatis & audaciæ; confidentiæ in se ipso, agnitionis suæ excellentiæ, opinionis de sua securitate, per hæc enim auctor explicat Capite secundo suum *Courage*, qui est *Character Borealiæ* & Anglorum certe borealiæ; qui caracter machinam portat ad sufficientiam in se habendam, ad actiones grandes, ad quas cutis borealis est apta. Propter hanc igitur impatientiam machina Anglica „ nullam
„ habet quietem quocumque
„ situ & conditione ponatur, se-
„ metipsam explorat semper, &
„ quaquaversum se invenit do-
„ lore affectam, ac propterea
„ non potest hæc machina un-
„ quam indormiscere, aut quie-
„ scere. „ Hæc nimirum ma-
china omni momento agit, & nunquam quiescere potest, quæ omni momento sine actione est, & ex semetipsa funditus laffa est ac torpens. Hæc machina, quæ tantum fiducia in se habet & agnoscit suam sufficientiam, imo suam excellentiam & superiorita-